



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Alexander VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

BULLARIUM ROMANUM,

TOMUS DECIMUS,

SIVE

CONTINUATIO, PARS QUARTA.

ALEXANDER SEXTUS,
PONTIFEX CCXVIII.
ANNO DOMINI MCDXCII.

ANNO
1492.

ALEXANDER ex Illustri Borgiae Stirpe post Innocentium VIII. Pontifex evasit. Ferdinando Hispano Regi Maurorum Victori *Catholici* titulum concessit, atque inter eum, & Lusitaniae Regem Indias divisit. Hoc sedente Carolus VIII. Galliae Rex Neapolitanum Regnum sibi subjecit. Tandem, non sine Veneni suspicione, obiit anno 1503. Pontificatus II.
(Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. App. fol. 452.)

ANNO
1492.

I.
Ex Arch.
Angl. Ri-
mer. Tom.
XII. p. 541.

Renovat Innocentii VIII. Constitutionem pro moderandis Immunitatibus in Regno Angliae: anno 1492.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Revisionis nostrae debet provenire subsidio, ut Jus suum cuilibet conservetur; Hinc est quod nos tenorem quarundam litterarum felicitis recordationis Innocentii Papae VIII. Praedecessoris nostri, in Registro ipsius repertum, pro eo quod, sicut exhibita nobis nuper pro parte Carissimi in Christo Filij nostri Henrici Septimi Angliae Regis illustris Petitio continebat, ipse hujusmodi tenore ex certis causis asserit se indigere, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & ad ipsius Henrici Regis supplicantis instantiam Praesentibus annotari fecimus, qui talis est.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei &c.
Romanum decet Pontificem concessas Immunitates, quibus mali se tuerent, & in dies ad pejora perpetrandum magis inducuntur, taliter moderari, quod exinde non praebatur eis imposterum tanta delinquendi facultas; Sane sicut accepimus, in Angliae Regno nonnulla Ecclesiastica tam Secularia quam Regularia & Religiosa Loca fore noscuntur, quae tali gaudent Immunitate, ut quicumque facinorosi & scelestissimi Homines quaecunque Homicidia, Incendia, Sacrilegia, atque Furta, & alia mala committentes, etiam Latrones publici & Agrorum Populatores, ac rei Laesae Majestatis, & debitorum aliorum ad illa recurrentes, & in illis moram trahentes, inde extrahi, & in eorum bonis

& personis molestari non possint. Ex quo sequuntur continue, causa Immunitatis hujusmodi, in dicto Regno quamplura damna, atque mala, ac creditores defraudantur in Pecuniis, & aliis Rebus eis per alios debitis, cum illas, dum praefati debitores in dictis locis moram trahunt, nequeant recuperare.

Contingit etiam saepenumero, quod hujusmodi mali, & facinorosi Homines videntes habere locum tutum, in quo dum moram trahunt, in Personis & Bonis nequeunt molestari, interdum exeunt ad aliquod maleficium perpetrandum, quo perpetrato, ad locum eorum redeunt, videntes se tutos fore, & per Justitiam puniri non posse.

Nos igitur Immunitatem hujusmodi aliquatenus moderari volentes, ut hujusmodi improbi homines de caetero magis studeant a malis abstinere, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatae Petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, statuimus, decernimus, & ordinamus, quod de caetero perpetuis futuris temporibus Fures, Homicidae, Latrones publici, Agrorum Populatores nocturni, prout etiam hoc a Jure permittitur, & in dictis Locis permanentes, ac ad committendum aliqua maleficia exeuntes, & ad dicta Loca redeuntes, inde de mandato Regis dicti Regni pro tempore existentis, aut officialium suorum extrahi & capi liberè & licitè, & absque alicujus censurae, & poenae Ecclesiasticae intercurso possint, quodque debitoribus aliorum ad dicta loca confugientibus, ex quo hoc in fraudem fecerint creditorum, quoad bona eorum, immunitas eorum in eis in aliquo non suffragetur. Si qui vero in dictis locis erunt suspecti de Crimine Laesae Majestatis, qui fuerint convicti, ne exire possint ad pejora perpetrandum, eis per dictum Regem deputentur Custodes, qui illos habeant custo-

dire; non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, nec non bonæ memoriæ Ottonis & Octoboni olim in dicto Regno Apostolicæ Sedis Legatorum, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus vel Specialibus constitutionibus & ordinationibus, statutis quoque, & consuetudinibus locorum prædictorum, & ordinum quorum illa fuerint, nec non ejusdem Regni Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque indultis, ac Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, eis Locis in genere & specie, ac sub quibusvis verborum formis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti Derogatione Specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, Tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad præmissa, motu & scientia similibus Derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque; Verum quia difficile foret præsentibus Litteras ad singula quæque loca in quibus expediens fuerit deferre, volumus, ac præfata auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, manu alicujus publici Notarii inde rogati subscriptis, & Sigillo ejusdem Regis, vel alicujus Curie Spiritualis munitis, ea prorsus in Judicio & extra, & alias ubilibet fides adhibeatur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ Constitutionis, Statuti, Ordinationis, Derogationis, Voluntatis, & Decreti, infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadragesimo octuagesimo septimo, octavo. Id. Augusti Pontificatus nostri anno 3^o &c.

II.
Ex Cod.
Diplom.
Leibnitii
Tom. I.
Part. I.
pag. 471.

Ferdinando Regi Castellæ, & Aragoniæ conceditur in novum orbem à Columbo detectum cum designatione limitum per ductum certi Meridiani: anno 1493.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo Filio Ferdinando Regi, & charissimæ in Christo filiæ Elisabeth Reginæ Castellæ, Legionis, Arragonum, Siciliæ, & Granatæ illustribus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Inter cætera Divinæ Majestatis beneplacita Opera & cordis nostri desiderabilia illud profecto potissimum exiit, ut fides Catholica & Christiana Religio nostris præsertim temporibus exalteretur ac ubilibet amplietur & dilatetur, animarumque salus procuretur, ac barbaræ nationes deprimantur & ad fidem ipsam reducantur. Unde cum ad hanc Sacram Petri Sedem, divina favente clementia, meritis licet imparibus, evecti fuerimus, cognoscentes Vos tanquam veros Catholicos Reges & Principes, quales semper fuisse novimus, ut à vobis præclare gesta, toto penè jam orbi notissima demonstrant, nedum id exoptare, sed omni conatu, studio & diligentia, nullis laboribus, nullis impensis, nullisque parcendo periculis, etiam proprium Sanguinem effundendo efficere, ac omnem animum vestrum omnesque conatus ad hoc jam dudum dedicasse, quemadmodum recuperatio Regni Granatæ à tyrannide Saracenorum hodiernis temporibus per vos cum tanta divini nominis gloria facta testatur; duximus non immerito & debemus illa vobis etiam sponte & favorabiliter concedere, per quæ hujusmodi sanctum & laudabile ac immortalis Deo acceptum propositum in dies ferventiori animo ad ipsius Dei honorem & Imperii Christiani propagationem profequi valeatis.

Sane accepimus, quod vos, qui dudum animo proposueratis aliquas Insulas & terras firmas remotas & incognitas, ac per alios hæcenus non repertas, quæ-

re, & invenire, ut illarum incolas & habitatores ad colendum Redemptorem nostrum, & fidem Catholicam profitendum reduceretis, hæcenus in expugnatione & recuperatione ipsius regni Granatæ plurimum occupati, hujusmodi Sanctum & Laudabile propositum vestrum ad optatum finem perducere nequivistis, sed tandem, sicut Domino placuit, regno prædicto recuperato, volentes desiderium adimpleri vestrum, dilectum filium Christophorum Colon, virum utique dignum & plurimum commendandum, ac tanto negotio aptum, cum navigiis & oneribus ad similia instructis, non sine maximis laboribus & periculis ac expensis destinatis, ut terras firmas & insulas remotas & incognitas hujusmodi per mare, ubi hæcenus navigatum non fuerat, diligenter inquireret. Qui tandem divino auxilio facta extrema diligentia in mari Oceano navigantes certas insulas remotissimas, & etiam terras firmas, quæ per alios hæcenus repertæ non fuerant, invenerunt: in quibus quam plurimæ gentes pacificæ viventes, & ut asseritur, nudæ incedentes, nec carnibus vescentes inhabitant, & ut præfacti nuntii vestri possunt opinari, gentes ipsæ in Insulis & terris prædictis habitantes, dum credunt unum Deum Creatorem in caelis esse, & ad fidem Catholicam amplexandum, & bonis moribus imbuendum satis apti videntur, spesque habetur, quod si erudiantur, nomen Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in terris & Insulis prædictis facile induceretur, ac præfatus Christophorus in una ex principalibus Insulis prædictis jam unam turrim satis munitam, in qua certos Christianos, qui secum iverant, in custodiam, ut alias Insulas & terras firmas, remotas & incognitas inquirerent, posuit, construi & ædificari fecit, in quibus quidem Insulis & terris jam repertis, aurum, aromata, & aliæ quamplurimæ res pretiosæ diverfi generis, & diversæ qualitatis reperiuntur, unde omnibus diligenter, & præsertim pro fidei Catholicæ exaltatione, & dilatatione (prout decet Catholicos Reges & Principes) consideratis, more Progenitorum vestrorum claræ memoriæ Regum terras firmas, & Insulas prædictas, illarumque incolas & habitatores vobis, divina faciente clementia, subicere, & ad fidem Catholicam reducere proposuistis. Nos igitur hujusmodi vestrum Sanctum & Laudabile propositum plurimum in Domino commendantes, ac cupientes, ut illud ad debitum finem perducatur, & per ipsum nomen Salvatoris nostri in partibus illis inducatur, hortamur vos quam plurimum in Domino & per Sacri Lavacri susceptionem, quæ mandatis Apostolicis obligati estis, & viscera misericordiæ Domini Jesu Christi attente requirimus, ut cum per expeditionem hujusmodi in Insulis & terris degentes ad Christianam Religionem suscipiendam inducere velit & debeatis, nec pericula, nec labores ullo unquam tempore vos deterreant, firma spe fiduciaque conceptis, quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur. Et ut tanti negotii provinciam Apostolicæ gratiæ largitate donati liberius & audacius assumatis, motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes Insulas, & terras firmas inventas, & inveniendas, detectas & detegendas versus Occidentem, & Meridiem; fabricando & construendo unam lineam à Polo Arctico, scilicet Septentrione, ad Polum Antarcticam, scilicet Meridiem, sive terræ firmæ & insulæ inventæ & inveniendæ sint versus Indiam, aut versus aliam quamcunque partem, quæ linea distet à qualibet Insularum, quæ vulgariter nuncupantur de *Los Azores & Cabo verde*, centum Leucis versus Occidentem & Meridiem: ita quod omnes Insulæ & terræ firmæ repertæ & reperiendæ, detectæ & detegendæ à præfata Linea versus Occidentem & Meridiem per alium Regem aut Principem Christianum

non fuerint actualiter possessa usque ad diem Nativitatis Domini nostri Jesu Christi proximè præteritum, à quo incipit annus præsens millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius; quando fuerint per Nuntios & Capitaneos vestros inventæ aliæ quæ prædictarum Insularum, auctoritate omnipotentis Dei nobis in B. Petro concessa, ac Vicarius Jesu Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum Dominiis, Civitatibus, Castris, Locis & Villis, juribusque & jurisdictionibus, ac pertinentiis universis, Vobis Hæredibusque & Successoribus vestris Castellæ & Legionis Regibus in perpetuum tenore præsentium donamus, concedimus, assignamus, vosque & Hæredes ac Successores præfatos illarum Dominos cum plena, libera, & omnimoda potestate, auctoritate, & jurisdictione facimus, constituimus, & deputamus; decernentes nihilominus per hujusmodi donationem, concessionem, & assignationem nostram nulli Christiano Principi, qui actualiter præfatas Insulas & terras firmas possederit usque ad dictum diem Nativitatis Domini Jesu Christi jus quæsitum, sublatum intelligi posse aut auferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute Sanctæ Obedientiæ, sicut pollicemini, & non dubitamus pro vestra maxima devotione & Regia magnimitate vos esse facturos, ut ad terras firmas & Insulas prædictas viros probos & Deum timentes, doctos, peritos & expertos ad instruendum incolas & habitatores præfatos in fide Catholica & bonis moribus imbuendum destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmissis adhibentes. Ac quibuscumque personis cujuscunque dignitatis, etiam Imperialis & Regalis Status, gradus, ordinis, vel conditionis sub excommunicationis lætæ sententiæ pena, quam eo ipso, si contrafecerint, incurrant, districtius inhihemus, ne ad insulas & terras firmas inventas & inveniendas, detectas & detegendas versus Occidentem & Meridiem, fabricando & construendo Lineam à Polo Arctico ad Polum Antarcticum, sive terræ firmæ & insulæ inventæ & inveniendæ sint versus Indiam, aut versus aliam quamcumque partem, quæ Linea distet à qualibet insularum, quæ vulgariter nuncupantur de Azores & Cabo Verde, centum leucis versus Occidentem & Meridiem, ut præfertur, pro mercibus habendis, vel quavis alia de causa accedere præsumant, absque vestra, ac Hæredum & Successorum vestrorum prædictorum Licentia Speciali; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque: in illo à quo Imperia & dominationes ac bona cuncta procedunt, confidentes, quod dirigente Domino actus vestros, si hujusmodi sanctum & laudabile propositum prosequamini, brevi tempore cum felicitate & gloria totius populi Christi vestri Labores & Conatus exitum felicissimum consequentur &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M CCCC XCIII. IV. Nonas Maij Pontificatus nostri Anno I.

tas editis incurrisse, quoties expediret in forma Ecclesiæ consueta, prout in nostris desuper confectis Litteris, plenius continetur.

Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecisti, contingere posset, quod Archiepiscopus & Episcopus præfati præmissa exequi semper commodè non possent; Nos animarum Saluti consulere volentes, omnibus & singulis Archiepiscopis & Episcopis præfati Regni, quos ad id pro tempore Majestas tua, aut tui Successores duxerint requirendos, & non alias, ad executionem dictarum Litterarum, alias in omnibus, & per omnia illarum forma servata, quoties opus fuerit, per se, vel alium, seu alios omnes & singulas personas Regni prædicti, quæ censuras tam in prædictis nostris, quam ipsius Innocentii Litteris contra Seditiosos ipsos contentas editis incurrisse, absolvendi ulteriusque procedendi, perinde ac si eis à principio directæ fuissent, & dirigerentur, plenam & liberam facultatem concedimus per præfatos, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ in aliis litteris prædictis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo quinto Id. Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

Concessio, ut Equites Ordinum Militarium Lusitanie à Voto Castitatis absolvantur, ut salvo Ordine matrimonia inire possint: anno 1496.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sane pro parte charissimi in Christo filij nostri Emanuelis Portugaliæ, & Algarbiorum Regis illustris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in regnis prædictis, in quibus militiæ Jesu Christi & de Avis Cisterciensis Ordinis pro infidelium expugnatione & depressione ad militandum contra eos ab eorum primæva fundatione institutæ, fere universi milites dictarum militiarum pro majori parte continentie & castitatis voto, quod in eorum professione emittunt, contempro, concubinas etiam plures, & in eorum ac Præceptoriarum & Prioratarum dictarum militiarum propriis domibus & locis, non sine magno religionis opprobrio, publicè tenere & eis cohabitare, ac etiam adulteria cum aliis mulieribus conjugatis committere non verentur; ex quo ab eorundem regnorum incolis & habitatoribus maximo odio habentur, dissensiones & inimicitie oriuntur, diversa scandala quotidie concitantur, ac non parva militum eorundem imminet pericula animarum. Verum si statueretur, & ordinaretur, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in dictis militiis proheri volentes professionem solitam, & continentie votum matrimoniale, prout milites militiæ Sancti Jacobi de Spatha, Ordinis S. Augustini emittunt, emittere deberent, & ad eorum instar matrimonium contrahere possent, ex hoc profecto incontinentie adulterii, odijs, dissensionibus, inimicijs, scandalis, & animarum periculis hujusmodi obviaretur, ac multi nobiles regnorum eorundem, qui militiis prædictis adversus ipsos infideles plurimum utiles & fructuosi essent, videntes se matrimonium contrahere posse, ad profectum in dictis militiis inducerentur, ac quam plures nobiles mulieres, quæ cum difficultate nuptui tradi possunt, cum eisdem militibus possent matrimonio collocari, quod ad maximum incolarum regnorum eorundem consolationem cederet pariter & quietem.

Quare pro parte tam præfati Emanuelis Regis, qui dictæ Militiæ Jesu Christi in temporalibus per Sedem Apostolicam administrator seu gubernator deputatus existit, quam dilectorum filiorum universorum Priorum, Præceptorum, & Militum dictarum

IV.
Ex Cod.
Diplom.
Leibnitii
Tom. 1.
P. 1. pag.
475.

III.
Ex Arch.
Ang. Ri.
mer. Tom.
12. p. 573.

Facultas tradita Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Dunelmensi ad absolvendos seditiosos & deturbatores Regni Angliæ: Anno 1495.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei Carissimo in Christo Filio nostro Henrico Angliæ Regi illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Alias felicis recordationis Innocentii Papæ VIII. Prædecessoris nostri vestigijs in hærentes, Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Dunelmensi, eorum proprijs nominibus non expressis, facultatem concessimus absolvendi omnes & singulas personas Regni tui, quæ censuras in quibusdam alijs Litteris nostris contra Seditiosos & novos tumultus excitantes conten-

Jesu Christi, & de Avis militiarum maxima cum instantia & saepenumero nobis fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis oportune providere de benignitate Apostolica dignemur. Nos qui animarum periculis ac scandalis & dissensionibus, ne eveniant, quantum cum Deo possumus, libenter obviamus, attendentes, quod Dominus noster Jesus Christus beato Petro Apostolo, cuius vices, meritis licet imparibus, tenemus in terris, nunquam tantam tribuisset potestatem, ut diceretur: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum in caelis; Nisi ipsum Petrum & ejus Successores ea potestate aliquando uti oportere indicasset, ex praemissis, & ex aliis nobis expositis causis, facta etiam super hoc, per Venerabilem Fratrem nostrum Georgium Episcopum Albanensem Cardinalem Ulixponensem nuncupatum, de ipso Portugalliae regno oriundum, in Sacra Theologia peritissimum, ac in magnis & arduis rebus longa experientia comprobatum, vitae exemplaris & morum honestate decorum, aliisque virtutum donis, quae in eo divina propagavit clementia, multipliciter insignitum, asserentem, se de hoc plurimum informatum esse, ac ita in regnis praedictis omnino expedire, idque etiam dudum antea cum felicis recordationis Sixto V. & Innocentio VIII. Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, dum in humanis agebant, conclusisse, qui morte praeventi ad finalem expeditionem devenire nequiverunt; Nos relatione fideli hujusmodi & instantissimis supplicationibus inclinati, & rationibus, in dictis Jesu Christi, & de Avis militiis profiteri volentes solitam & quoad continentiae votum matrimonialem, prout milites militiae Sancti Jacobi de Spatha hujusmodi emittunt professionem, emittere debeant, & ad eorum instar matrimonium alias tamen rite contrahere, & in eo postquam contractum fuerit, remanere liberè & licitè possint; Auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, ac Apostolica Potestatis plenitudine tenore praesentium statuimus pariter & ordinamus, ac cum eis hoc dispensamus, prolem ex hujusmodi matrimoniis suscipiendam legitimam pronuntiantes; firmis tamen in reliquis institutis dictarum Jesu Christi & de Avis militiarum omnino remanentibus, non obstantibus praemissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis earundem Jesu Christi & de Avis militiarum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis &c. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MCCCCXCVI. xii. Kal. Julii, Pontificatus nostri anno IV.

Confirmatio Militiae S. Michaelis à Rege Galliae institutae: anno 1496.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pro parte Charissimi in Christo Filii nostri Caroli Francorum Regis illustris nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim clarae memoriae Ludovicus etiam eorundem Francorum Rex ejusdem Caroli Regis genitor, tunc in humanis agens, singularis devotionis fervore accensus, cupiens promotione & defensione Fidei Catholicae, ac regni sui, totiusque Reipublicae Christianae, in honorem Sancti Michaelis Arcangeli certam militiam, seu auratam Societatem in sincera & cara fraternitate & unione mutua se perpetuo habituram, quae regalis ordo in posterum nuncuparetur, instituere, triginta sex milites seu auratos, quorum ipse seu Successores sui Francorum Reges essent Caput, haberentque superioritatem, congregavit, seu con-

gregari voluit, indixitque pro conservatione, & manutatione Societatis, fraternitatis & unionis praedictarum certa statuta nonnullasque ordinationes & consuetudines perpetuo duraturas, & deinde pro augmentatione & magnificentia dictae militiae regalis votum emisit solemne, aeternae, increatae, immensa, summae, omnipotentis, & gloriosissimae, ac individuae Trinitati Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui Sancto, de erigendo, seu erigi faciendo per Romanum Pontificem pro tempore existentem, Sedemque Apostolicam ad honorem ipsius Trinitatis, intemeratae Virginis Mariae, ipsius humani generis Redemptori pie Matris, dicti S. Michaelis, totiusque Curiae Caeslestis in Capella ejusdem S. Michaelis sita in Palatio Regalis Parisiensis, in quo Parlamentum teneri consuevit in inferiori parte, & sitam prope portam introitus ipsius Palatii unum Collegium Virorum Ecclesiasticorum Saecularium, qui inibi Divinum Officium horis congruis & competentibus diurnis pariter & nocturnis decantare, pariterque celebrare deberent &c. Constituit Alexander Leges in divino cultu peragendo in ea Sacra Aedificia observandas, ac Sacerdotum munera distinguit, nec non prerogativis illustrat. Datum Romae apud Sanctum Petrum MCCCCXCVI. Idibus Novembris, Pontificatus nostri anno V.

Excommunicatio & Interdictum contra Ludovicum Galliae Regem communicatum, si defecerit in solutionibus Regi Angliae promissis; anno 1500.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Ad futuram rei memoriam.

Illius vices licet immeriti gerentes in Terris, cuius in pace locus factus est, ad ea vigilantiae nostrae Curas libenter convertimus, per quae inter Catholicos Reges ac Principes Pacis Federa conferuntur, & Populi sibi subiecti in pulchritudine Pacis sedeant & Fiduciae Tabernaculis inhabitent, & ea quae pro hujusmodi Pace conservanda per eodem Reges providè gesta & inita comperimus, libenter, cum à nobis petitur, Apostolico munimine roboramus.

Sanè pro parte charissimi in Christo Filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi nobis nuper exhibita petitio continebat, quod. Cum olim, clarae memoriae Carolus, tunc eorundem Francorum Rex, praefati Ludovici Regis immediatus Praedecessor, dum in humanis ageret, cum Charissimo in Christo Filio nostro Henrico Angliae Rege illustri pacem & concordiam sub certis modo & forma iniens, pro adimplemento ac observatione quarundam obligationum, in quibus Charissima in Christo Filia nostra Anna Francorum Regina, & etiam tunc Britanniae Ducissa, pro Stipendiis armorum, qui eidem Annae ante contractum inter eam & praefatum Carolum Regem matrimonium ex parte dicti Henrici Regis succursum praebuerant, praefato Henrico Regi obligabantur, & etiam pro Arreragibus certorum debitorum inter recolendae memoriae Ludovicum etiam Francorum, & Eduardum Angliae Reges, dum viverent, in Tractatu de Picquigni contractorum, ac ex certis aliis causis in summa septingentarum, & quadraginta quinque millium Coronarum Auri eidem Henrico Regi, ac suis extunc imposterum Successoribus in certis tunc expressis Loco & Terminis, annuatim persolvenda, se obligasset, & extunc solutionem dictae Summae facere incepisset. Praefatus Ludovicus Rex modernus, eodem Carolo Rege, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, ad Fastigium Regiae Celsitudinis immediatè assumptus, obligationem ipsam bona fide agnoscens, sub poenis obligationis formae Camerae Apostolicae, & alias se & Haeredes suos Regnum, Patrias, & Dominia ac Bona sua tunc

praesen-

V.
Ex Cod.
Diplom.
Leibnitii
Tom. I.
Part. I.
pag. 476.

VI.
Ex Arch.
Ang. Ri-
mer. Tom.
12. pag.
762.

præsentia & futura, nec non singulos subditos suos & eorum Bona obligando, promisit promissa per dictum Carolum Regem observare, & residuum dictæ summæ persolvere, & confirmationem Promissionis & Obligationis hujusmodi infra certum tunc expressum tempus à Sede Apostolica & Nobis impetrare & obtinere, appositis penis interdicti in Regnum, Patrias & Dominia sua antedicta, atque Excommunicationis in personam suam, si & quatenus promissa per eum minimè adimplerentur, prout in quibusdam litteris Patentibus ipsius Ludovici Regis desuper confectis, quas diligenter inspicere & omnia characteribus & signis, de verbo ad verbum præsentibus inferi fecimus, plenius continetur.

Quare pro parte præfati Ludovici Regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut promissioni & obligationi prædictis pro illorum subsistentia firmiori, Robur Apostolicæ Confirmationis adjicere, aliàsque in præmissis oportune providere, de Benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui inter cunctos Christi fideles, præsertim Catholicos Reges & Principes, pacis amoenitatem vigere & augeri, nostris potissimè temporibus supremis desideramus affectibus, quique tempus, infra quod præfens Confirmatio obtineri debet, causa maturius procedendi, hæcenus prorogavimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, obligationem & promissionem prædictas, ac prout illas concernunt omnia & singula in dictis patentibus litteris contenta & inde secuta quæcunque præfata, tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac præfatis scripti patrocinio communimus.

Mandantes illas juxta dictarum litterarum patentium continentiam & tenorem, sub Excommunicationis lætæ sententiæ pena, firmiter observari, quam si idem Ludovicus Rex contrafecerit, eo ipso incurrisse noscatur, ac decernentes, præfatas litteras ad probandum plenè prorogationem prædictam ubique sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, irritum quoque & inane quicquid fecus his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et nihilominus, si contingat præfatum Ludovicum Regem ejusque Hæredes aut Successores Promissioni & Obligationi præfatis contravenire.

Nos ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc Regnum, Patrias, & Dominia sua prædicta Ecclesiastico supponimus interdicto, tamdiu firmiter observando, donec de Debitis fuerit eidem Henrico Regi ejusque Hæredibus & Successoribus juxta dictarum Patentium Litterarum Seriem & Tenorem, realiter & cum effectu integrè satisfactum; non obstantibus Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Tenor vero Litterarum Ludovici Regis hujusmodi sequitur, & est talis:

LUDOVICUS Dei gratia, Francorum Rex universis & singulis præfentes litteras inspecturis, Salutem.

Cum dudum claræ memoriæ, Charissimus Dominus Frater & Prædecessor noster Rex Carolus, quem Dominus absolvat, volens adimplere, & executioni debitè demandari ea, quæ promissa & conclusa fuerant per Tractatum Pacis, & amicitiarum inter certos Ambassadors & Commissarios Charissimi Fratris & Consanguinei nostri Henrici Angliæ Regis parte ex altera, apud Stapulas propè mare factum & conclusum in hac forma; videlicet.

Quòd pro acquietamento & redemptione obligationum, quas ipse Consanguineus noster habebat & tenebat de charissima ac dilectissima Consanguinea nostra Anna de Britannia tunc Consorte, nunc vero relicta dicti Fratris nostri Regis Caroli, ante matrimonium inter eas contractarum, quibus obligationibus dicta Consanguinea nostra promiserat solvere, & restituere eidem Regi Angliæ & suis Hæredibus omnes & singulas expensas, ac pecuniarum summas, quas ipse Rex Angliæ exposuerat,

& exinde expositurus esset pro stipendiis armatorum, & aliis oneribus & sumptibus factis & fiendis pro Exercitibus Succursu & Subsidio per dictum Fratrem nostrum Angliæ Regem diversis vicibus antedictæ Consorti suæve subditis de Britannia tunc suam partem tenentibus missis, & traditis, & etiam pro acquietamento seu redemptione obligationum, quas defunctus Eduardus Rex Angliæ habuerat per tractatum de Picquigni à quodam Ludovico Rege Progenitore dicti Fratris nostri Regis Caroli, etiam Prædecessore nostro, & pro Arreragis quinque terminorum ad summam centum & viginti quinque millium Coronarum Auri ascendentium, ipse Frater noster Rex Carolus sui que Hæredes solverent, aut solvi facerent dicto Charissimo Fratri & Consanguineo nostro Henrico Regi Angliæ & ejus Hæredibus septingenta & quadraginta quinque millia Coronarum Auri, unaquaque corona valente triginta quinque Solidos Turonenses, in terminis, modo & forma in litteris dictorum suorum Ambasciatorum latiùs contentis, & expressis, per suas patentes litteras manu sua signatas, Dat. Ambassie tertia decima mensis Decembris Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, & regni sui decimo, confectus fuerit & declaraverit, seque & Hæredes suos obligaverit, ac pro se & eisdem suis Hæredibus consenserit, & promiserit solvere, & de liberare, seu solvi & deliberari facere dicto Charissimo Fratri, & Consanguineo nostro Henrico Regi Angliæ, & ejus Hæredibus seu ipsius aut ipsorum Deputato, aut Deputatis dictam summam septingentarum & quadraginta quinque millium Coronarum prædicti valoris monetæ, in Regno Franciæ, tunc cursum habentis, sub modo & forma sequentibus; videlicet.

In villa Calestia, die primo mensis Majj tunc proximè futuro, viginti quinque millia Francorum in Coronis Auri valoris supradicti, uno quoque Franco valente viginti Solidos Turonenses.

Et primo die mensis Novembris ex tunc etiam proximè sequenti viginti quinque millia Francorum in Coronis Auri valoris antedicti in Villa Calestie, Et sic, de anno in annum & de termino in terminum, ipse Dominus & Frater Rex Carolus, & sui Hæredes solverent, & deliberarent, solvere, & de liberari facerent dicto Consanguineo nostro Charissimo Regi Angliæ & ejus Hæredibus, aut ejus seu eorum Deputato seu Deputatis loco & terminis prædictis, donec & quousque dicta summa septingentarum & quadraginta quinque millium Coronarum Auri plenè & integrè soluta & contentata foret, prout in dictis litteris suis plenius continetur.

Et deinde dictus Dominus & Frater noster Rex Carolus, ad executionem præmissorum supradictorum ritè procedens, solvi & deliberari fecerit annuatim prædicto Fratri & Consanguineo nostro Regi Angliæ, seu Deputatis ab eo summam quadraginta millium Francorum in Coronis Auri valoris antedicti, ac in terminis & locis, ut supra præfixis, prout per Quietantias, & Recognitiones desuper habitas latiùs apparet.

Notum facimus, quod Nos, qui post obitum dicti Domini & Fratris Prædecessorisque nostri Caroli Regis ad Regnum & Coronam Franciæ hæreditaria Successione venimus, cupientes tanquam Hæres suis debitis suis satisfacere, promissaque per eum, ut prædictur, ad unguem complere, ob causas antedictas, & alias considerationes, in hac parte nos moventes. Deductis prius, & defalcatis de prædicta summa septingentarum, & quadraginta quinque millium Coronarum Auri, omnibus & singulis summis & solutionibus per eundem Fratrem & Prædecessorem nostrum Regem Carolum antedicto Fratri & Consanguineo nostro Charissimo Regi Angliæ, seu ejus Deputatis quolibet anno factis & solutis, de quibus constat, ut prædictur.

Confitemur & declaramus, Nosque, & Hæredes nostros per has præfentes nomine nostro subsignatas obligamus, & pro nobis, & dictis nostris

Hæredibus consentimus & promittimus perfolvere, & deliberare, seu perfolvi & deliberari facere charissimo Fratri & Consanguineo nostro prædicto Henrico, Regi Angliæ, & ejus Hæredibus, seu ipsius aut ipsorum Deputato aut Deputatis, totum Residuum, & res tam dictæ summæ septingentarum, & quadraginta quinque millium Coronarum, unaquaque Corona valoris triginta quinque solidorum Turonensium monetæ, nunc in Regno nostro cursum habentis, secundum quod inter præfatos Fratres nostros conventum fuit, ipsumque Residuum dictæ summæ septingentarum & quadraginta quinque millium Coronarum Auri.

Nos & Hæredes nostri solvemus & deliberabimus, solve & deliberari faciemus, eidem Angliæ Regi, & ejus Hæredibus, aut ejus, seu eorum Deputato, seu Deputatis in Villa Calesia, die primo mensis Novembris proximè futuro, viginti millia Francorum in Coronis Auri, valoris supradicti, unoquoque Franco valente viginti solidos Turonenses, & primo die mensis Maij ex tunc proximè sequenti viginti quinque millia Francorum in Coronis Auri, valoris supradicti, in villa Calesiæ, & sic de anno in annum, & de termino in terminum, Nos & Hæredes Nostri solvemus & deliberabimus, solvè & deliberari faciemus dicto Consanguineo Nostro, & ejus Hæredibus, aut ejus, seu eorum Deputato, vel Deputatis, loco & terminis prædictis, donec & quousque dicta summa septingentarum & quadraginta quinque millium Coronarum Auri æstimationis prædictæ, per Nos & Hæredes Nostros, præfato Regi Angliæ & Hæredibus suis, ut prædictum est, plenè & integrè soluta & contentata fuerit.

Ad quam quidem solutionem fideliter & firmiter, sicut præmittitur, faciendam promittimus, altringuimus, & obligamus bona fide, & in Verbo Regio Nos & Hæredes Nostros Regnum, Patrias, & Dominia & Bona nostra præsentia & futura, singulos subditos nostros, ac eorum bona ubicunque reperia fuerint. Renunciantes in hac parte omni Privilegio, Cautelæ, Juris Beneficio, Exemptioni non numeratæ pecuniæ, & aliis Exceptionibus atque Defensionibus quibuscunque. Et ad omnium & singulorum præmissorum securiorem observantiam obligamus Nos, sub pœnis Cameræ Apostolicæ & per obligationem de nisi.

Et ultra, ac citra præmissa Rescriptum Apostolicum sigillo plumbeo munitum, sumptu & expensis Nostri impetrabimus & obtinebimus, ipsique Serenissimo Regi Angliæ, vel ejus Hæredibus, infra decem & octo menses, datam præsentium proximè sequentes, deliberabimus deliberare realiter faciemus, quo omnia & singula Præmissa Sedis Apostolicæ confirmabuntur auctoritate, appositis pœnis interdicti in Regnum, Patrias, & Dominia nostra antedicta, atque excommunicationis in Personam Nostram, si & quatenus omnia & singula præmissa, quantum nos concernunt, ut præfertur, minime conservaverimus & impleverimus. In quorum omnium & singulorum Præmissorum Fidem & Testimonium his præsentibus Litteris nostris patentibus, manu nostra subscriptis, Sigillum Nostrum magnum fecimus apponi, Datum Parisiis die decima quarta mensis Julij, Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, & Regni Nostri primo.

Per Regem, Dominis Cardinalibus Gurciæ, ac Remensi Duce de Nemours, nobis Archiepiscopis Rothomagensi, & Bituricensi Comite de Linei, Episcopis Parisiensi & Tricensi, Dominis de Guise, Marescallo Franciæ, & aliis præsentibus,

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Approbationis, Confirmationis, Communitationis, Mandati, Decreti & Suppositionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationis Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ

apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo, Pridiæ Id. Junij, Pontificatus Nostri anno octavo.

JULIUS SECUNDUS.
PONTIFEX CCXX.
ANNO DOMINI MDIII.

Julius ex Familia Roverea Sixti Quarti, ex Fratre Nepos: anno 1503. Pontifex renunciatur. Primus contra Prædecessorum consuetudinem barbam alere cœpit, quâ majorem sibi reverentiam conciliaret. Vir excelsi animi, cui quum Claves Petri non essent satis, Pauli gladio usus est ad Ecclesiasticam ditionem asserendam; novem annis Pontificatum tenuit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. App. fol. 464.*)

Contra abutentes Immunitatibus Ecclesiarum in Regno Angliæ, auno 1504.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet Pontificem taliter providere, quod immunitates, quæ Ecclesiis ob Reverentiam Divini Nominis, & ad Præsidium Innocentium provida moderatione concessæ fuerunt, malis ad peiora perpetranda audaciam non præbeant, sed illas taliter moderari, quod exindè & Ecclesiis Privilegia conferentur, & delinquentium effrenata temeritas compescatur. Sanè sicut accepimus in Regno Angliæ sæpenumero contingit, quòd rei, vel suspecti Criminis Læfæ Majestatis, Homicidæ voluntarii, publici Latrones, ac Itinerum, & publicarum viarum Effractores, & Infidiatores, ad Loca Ecclesiastica, tam secularia, quàm regularia confugiunt, confidentes, indè se propter Immunitatem Ecclesiæ concessam extrahi non posse; ac etiam postquam in locis prædictis sunt constituti, de novo etiam prædicta crimina, ac alia similia, vel peiora committere non verentur, indè exeuntes, & deindè pro eorum defensione, ne capiantur, ad dicta loca, vel alia quacunque immunitate gaudencia se retrahentes.

Nos igitur in præmissis debite providere volentes, Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod deinceps, quoties contigerit in dicto Regno hujusmodi Criminis Læfæ Majestatis Reos, vel suspectos ad dicta loca etiam quovis exemptionis Privilegio munita confugere, quamvis de criminibus hujusmodi, aut eorum aliquo convicti non fuerint, custodes ad custodiendum illos in dictis locis, ne indè aufugiant, deputari debeant, & si dicti Criminis Læfæ Majestatis, Rei vel Suspecti, aut Homicidæ, Latrones, vel Itinerum, & publicarum viarum Effractores seu Infidiatores, in dictis locis moram trahentes, vel indè exeuntes, de novo prædicta crimina, vel eorum aliqua, aut deteriora, vel alia similia committere præsumpserint, vel indè recedentes ad prædicta, vel alia quacunque loca etiam quacunque immunitate gaudencia confugerint, ab illis licè è extrahi, & Justitiæ committi possunt.

Non obstantibus præmissis, ac bonæ memoriæ Ottonis, & Ottoni olim in dicto Regno Apostolicæ Sedis Legatorum, in Provincialibus quoque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & Statutis, Consuetudinibus Ecclesiarum, & locorum prædictorum, & etiam Ordinum quorum illa fuerint, nec non ejusdem Regni Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Privilegiis, quoque Indultis, ac Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, etiam sub

quibus-

I.
Ex Arch.
Ang. Ri-
mer. Tom.
13.